

Et hoc est infallibile modo certitudinis plus quàm primo, ut ita loqui liceat. Si enim testimonium sensus in naturâ est certum primo certitudinis gradu; quid vetat, quò minùs liceat dicere, testimonium hoc, quod sensus supernaturalis & experientia supernaturalis dictant, esse certum plus quàm primo certitudinis gradu? Ita spem liberationis divinæ non pudefacere, testatur nobis in afflictione constitutis sensus internus, isq; suavissimus, charitatis Dei erga nos, effusus per Spiritum sanctum, qui datus est nobis: *Rom. 5. v. 5.* Ita spiritus noster testatur verum esse, quod nobis Spiritus sanctus dictat, nempe nos esse filios Dei. *1. Johan. 5. v. 6.* Sic experimur super naturam eveci, providentiæ & justitiæ divinæ documenta admiranda, quæ mundus experiundo non cognoscit.

Testimonium personæ est, quod suppeditat persona aliqua:

Ut Paulus Apostolus, Cicero. Mortui resurgent. Q. Paulus id testatur.

Secundò testimonium est vel favorabile, vel non-favorabile.

Favorabile est, quod meretur fidē cum favore.

Estq; divinum, vel humanum.

De hâc divisione in genere est canon:

*Testimonium divinum firmissimum est; humanum eatenus firmum, quatenus author & exactam rei scientiam, & veritatem, quæ utraq; cum rectâ ratione conjuncta est, possidet.*

Testimoniū  
divinum.

Scientia propterea requiritur, ut scias quid dicas; veritas autem ideò, ut velis, juxtâ ac intelligis, proloqui. His duabus conditionibus si testimonium humanum polleat, tam ex hoc, quàm ex divino affirmatè & negatè concluderis. *Affirmatè*: ut, Deus testatur fore ultimum judicium. Ergò erit. Et, Aristoteles scientiâ & veritate nixus affirmat, quatuor esse elementa. Ergò sunt. *Negatè*: ut, Scriptura sacra nihil habet de purgatorio. Ergò nec est. Et, Aristoteles nixus scientiâ & veritate testatur, animam non esse mortalem. Ergò nec est.

Q 3